



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Vera Sapientia

Pinamonti, Giovanni Pietro  
Segneri, Paolo

Coloniae, Anno M.D.CCVI.

**VD18 12664146**

Et peccatorem,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50782](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50782)

itaque cumulum congere, quidquid odij, vel inter homines aduersum sese invicem, vel inter dæmones damnatōsque aduersus Deum concipere poteris, quid verò id omne erit aliud, nisi umbra tantummodo quædam, illius abominationis infinitæ, quâ Deus peccatum omne mortiferum averſatur? & hoc tam horribile peccatum tu, mi homo, sine & corde gestas, per menses & annos, ei blandieris insuper, perinde ac si non abominandum aliquod monstrum, sed catellus foret Melitensis.

## PUNCTUM II.

DEUS ODIT PECCATOREM,

*Altissimus odio habet peccatorem,*

Eccli; 12. 3.

II. **C**ONSIDERA, Deum non odisse solum peccatum, sed etiam peccatorem quatenus talem; *Similiter odio sunt Deo impius, & impietas eius.* Sap. 14. quatenus nempe talem censet inimicum sibi, peccati causâ ipsi vult malum, & malum quidem æternum pœnæ ac damnationis. *Quamdiu*  
cul,

culpa ejusmodi animæ adhæret, cum ea nec vult, nec potest contrahere amicitiam, aut ullum ipsius donum benevolis oculis aspicere. Finge casum, quo Beatissima Virgo Deipara peccatum aliquod commisisset lethale ( quod quidem vix concipi potest, nedum fieri ) illud tamen certum est, Deum ab illo momento abominaturum fuisse se plus matrem suam, quam serpentem venenatissimum, neque moram interponendam, quin eam pari cum omnibus peccatoribus sententiâ ad æternos ignes condemnaret, nullâ habitâ ratione omnium illius meritorum præteritorum & sanctitatis. Hanc purissimam veritatem non satis assequi potest intellectus humanus, nec ad vivum repræsentare sibi capitale illud odium, quo Deus peccatorem detestatur. Audirem humanâ propemodum fide superiorem, & tamen verissimam certissimamque (B.) magis displicet Deo nostro homo, unius tantum reus lethalis peccati, quam ipsi placeant omnia opera bona rerum creatarum

B simul

simul omnium, tam præsentium, quàm præteritarum, & futurarum. Redi igitur stulte peccator, redi ad domum illam: ubi insanis flagitiis divinam conculcare legem solitus es, nihil scilicet obstat, quò minùs redeas; recordare tamen, te perditis illis tuis voluptatibus plus fastidii afferre Deo, quàm gaudii ipsi attulerint omnes Prophetæ, omnes Apostoli, Martyres omnes, Confessores & Virgines, imò & omnes Angeli ac electi cœlites, in unum quantumvis numerum collecti; ita, ut si Deus capax esset doloris, magis affligendus foret unico tuo peccato, quàm recreari possit omnibus illorum obsequiis. Quid igitur metuis, si peccatum non times? nunquid foret optabilius, te esse canem mortuum, bufonem venenatum, basiliscum, imò & draconem, quàm esse peccatorem?